



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 78. Galli violatam induciarum fidem excusantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. inter etiam numerabatur Caspar Vindocini Frater, & Nancæiæ Dux: Porro A.C 1557. Philibertus Marfilius Sipetra, Caspar Saulius Tavanius, & Bonifacius Mola erant castrorum Præfecti.

Tandem Guisæ Dux Augusta Taurinorum profectus cum potissima exercitus sui parte Tricerrum, quæ urbs est inter Vercellas, & Trinum sita, pervenit, indeque ad Casalium Montferratenfe trajecit Padum, ac postea a civibus Valentianæ urbis in Mediolanensi Provincia sitæ transitum postulabat, quo negato, additoque arroganti, ac duriori responso Guisus urbem belli tormentis quatere cœpit, moxque die vigesimo Januarii ad deditionem compulit, arcemque paulopost suæ potestati subjecit: præfidiarii tamen omnes armis exuti, ac dimissi fuere, æquatis solo oppidi muris, arce tamen servata, cum id juberet summus Pontifex.

§. LXXVIII.

*Galli violatam induciarum fidem excusantes.*

*Thu. l. c.*  
*Belcar. l. c.*

Cum Galliarum Rex probe prospiceret, quod Guisio Duce in Italiam evocato inducias cum Philippo II. sanctitas violaret, hinc Casparo Colinio Francicæ classis Præfecto, ac Campaniæ Gubernatori negotium dabat, ut hostium  
Regio-



Regiones infestis armis invaderet: Ac-  
 cepto itaque Regis mandato Duacum  
 Flandriæ urbem concubiæ noctis bene-  
 ficio die sexta Januarii clam opprimere  
 tentat: verum sua spe frustratus Len-  
 tium, quæ Urbs Infulis, & Atrebato  
 interjacet, progreditur, captumque op-  
 pidum diripit, flammisque absumit.  
 Comperta hac sævitia Cæsarei, indu-  
 ciarum fidem a Gallis fuisse violatam  
 haud immerito divulgabant: hi tamen,  
 ut a se perfidiæ labem abstergerent,  
 contendebant, quod bellum a Philippo  
 contra Papam susceptum illos ad arma  
 capeffenda compulisset, atque inopini  
 hujus insultus æquitatem edito libello,  
 quem Carolus Marillacus Viennensis  
 Archiepiscopus composuit, vindicare  
 nitebantur, hæc exponentes: „Galli  
 „nonnisi jure talionis utuntur, nam  
 „Marcus Sedanus Franciæ Marefcallus  
 „nuper in prælio captus, priusquam in  
 „libertatem afferebatur, propinato ve-  
 „neno ad suos redux obiit, atque Cæ-  
 „sarei Fratrum Minorum, quos Sabau-  
 „diæ Dux, & Lucemburgicus Guber-  
 „nator ad suas partes pertraxerant, mi-  
 „nisterio Metas, ex insidiis capere mo-  
 „liti fuerunt: Barlemontius vero ærarii  
 „Præfectus Burdegalas clam obrutu-  
 „rus conpirationem concitavit, insuper  
 „non ita pridem prope Farum in Ve-  
 roman-

Sæcul XVI.  
 A.C. 1557.



Sæcul. XVI  
A.C. 1557.

„romanduensi ditione captus fuit Jaco-  
„bus de Flectia celebris castrorum Me-  
„tator, qui habita quæstione fassus est,  
„quod a Sabaudix Duce auro corruptus,  
„atque ab eodem missus fuerit, ut in  
„Regni finibus munitiores urbes Mont-  
„rolium, oppidum S. Quintini, Dur-  
„lentium, & Mezeriam exploraret.

§. LXXIX.

*Cardinalis Tridentinus de violata in-  
duciarum fide questus.*

*Beicar. &  
Thu. l. c.*

**N**ondum de Duacensis urbis invasione,  
ac Lentii deprædatione fama per-  
crebuerat, cum jamjam Guisii Ducis  
exercitus Valentiam occuparet, qua-  
propter Cardinalis Tridentinus Medio-  
lani Gubernator quemdam ad hunc Du-  
cem ablegabat, qui captam urbem re-  
peteret, eoquod durantibus induciis  
expugnata fuisset: Verum ad hæc re-  
posuit Guisius: „violatæ sunt prius a  
„Cæsarianis induciæ, displosis contra  
„Gallos sclopetis, ac plerisque faucia-  
„tis: præterea Pontificis hæ, non au-  
„tem Regis copiæ sunt, & utique huic  
„licitum est, eoquod iniquo bello in  
„Italia ab Hispanis opprimeretur, cum  
„iis hostiliter agere: si vero aliud præ-  
„stolari vis responsum, cum ipso Papa  
„conferre, atque apud ipsum conqueri,  
„& ea, quæcunque expedire videbuntur,  
ab